

DEDICATIO.

QUANTA cura diligentia & labore in conservatione Scriptorum Mo-
sis & Prophetarum gens Judaica
sit versata, ut Lex Dei integra &
perfecta ad seros transfret posteros, non
satis mirari possunt, quicunque diligentius
eorum excusserunt monumenta. Quamvis
enim velum cordibus Judaeorum maneat
impositum, omnia de Lege tamen prae-
clara & egregia sentiunt & loquuntur, op-
timeque de rebus sacris sunt meriti. Quod
vel hac sententia exprimunt, nullam rem
esse in Lege adeo minimam, unde non
maximi montes pendeant. Qua in re cum
a veritate nihil alienum sit, nec, quod di-
gni-

DEDICATIO.

gnitatem Scripturarum ullo modo infringat, quin potius quod eam augeat & illustret, maxime contineatur; Christiano nomine non indignum erit, eadem reverentia sacras excipere litteras, & in accuratiori disquisitione veritatis aequae ac indolis linguae, Judaeos superare. Sive enim veritas confirmanda, sive error debellandus veniat, sine Linguae Hebraeae cognitione parum promovebimus, potissimum si cum Judaeis, quos ad zelum provocare debemus, nobis res sit. Quicquid ergo ad ulteriorem linguae sanctae cultum, magisque familiarem ejus usum conciliandum facit, illud enucleatius traditum laudem meretur. In primis autem operae pretium est ea attendere, quae magis neglecta jacent, quam aequum esset, quod in Hebraea litteratura, doctrinae Distinctionum accidit, licet nulla linguarum omnium, tot certas & varias notas justo ordine exhibeat. Mi-
nima

DEDICATIO.

nima equidem haec res videtur quam plurimis, qua facile caremus, sine magno dispendio, sed Judaeis fatentibus, res maximae ex illis pendent, qui & inde mysteria summa, his apicibus indicata, eruere student. Nobis circa ipsa haec signa firmiori incedendum est pede, ut dignitas & usus eorum pateat. Studio autem & labore, cum abdita proferantur, minus cognita ulterius illustrentur, dubia confirmentur; ad haec minora, sine quibus plurima magna vel manent incognita, vel non satis explorata, animum adjecimus indaganda. Quae VOBIS VIRI ILLUSTRĒS offerre omni observantia volumus, quos tanquam Studiorum Patronos eligere debuimus. Versatur enim hoc opus circa Verbum Dei & ea sectatur, unde sensus magis certus, minusque arbitrio humano subiectus, pendet, ut vel hoc nomine VOBIS non sit indignum.

* *

DEDICATIO.

gnum. Quod si quis vero ipsum laborem impensum aestimet, cur non vel ideo ad Vos accedam, quibus Academiae cura commissa est, cum hoc quicquid est, in usum studiorum Academicorum sit confectum. Voluntatem saltem aliis inserviendi affero, quam Vobis probari posse, persuadet summus Vester in studia potissimum haec sacra amor, in Patriam pietas, in Academiam cura, in bonos omnes favor, & in studiosos litterarum cultores benevolentia insignis. Qua ut & me & hoc donum complecti velitis, maximo opere a Vobis rogo. Vos autem DEUS Optimus Maximus diutissime rebus Vestris, Academiae, Ecclesiae & Reipublicae, jubeat esse superstites. Valete. Lugd. Batav. MDCCXV. Kal. Maj.

PRAE.